



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Amolitio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A Pud Philologos hieroglyphicum verecundiæ os videtur esse, unde de impudentibus dici solet, *Hinc illa figura quo ore audebis patrem adire. Et os infrant.* eos os non habere. Hinc Cato Major Lentulo, qui sputum in ejus faciem ejaculatus fuerat, absterfa tantum facie dicit: *Affirmabo omnibus Lentule, falli eos, qui te negant os habere, argute vulgatam hominis impudentiam notando, quamvis de sputi copia dicere videretur.*

AMOLITIO. CAP. XLVIII.

NEquē nescius sum pro amolitione, ut ita nunc dicam, veteres expuendi gestum usurpasse, ut Theocritus, *ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρεῖν εἰς ἐμὸν ἐπιυσα κόλπον*: & multa apud alios hujusmodi, quæ recitare superfluum esset. Nam quæ maxime abhorrebant, quæque opprobrio habebant, ea ignominia designabant. Quin & veteribus Christianis mos fuit, estq; adhuc, ad immunda verba expuere, quodam veluti expiationis modo. Ita illud apud Tertullianum lib. ad uxorem altero, acciendum: *Cum aliquid immundum flatu expuis.*

HOROSCOPIUS. CAP. XLIX.

Sed ut os tandem comprimam, uno adhuc hieroglyphico illud obturabo, quod apud Horum Niliacum habetur, ut super cibo aliquid attingamus. Nam illic per hominem, qui horas comedat, hieroglyphicum explicari tradunt horoscopus intelligendo: non quia horas comedat homo, quod fieri minime potest, sed quia ab horis alia atq; alia humano generi alimenta subministrantur. Hujusmodi vero horarum partium commode forte exprimere poterimus, si ex uniuscujusq; horæ proveniuntibus aliquid decerpserimus: puta, rosas, spicam, & pomum aliquod, quæ in unum fasciculum colligata, ori adaperto admoveantur. Horas porro hic intelligendum tres eas anni partitiones, quæ suo quæq; tempore singula maturant: ver quippe, astatem, autumnumq;: quæ tempora Ægyptii, quatuor unumquoq; mensibus nostris complexi sunt, ex Hori Regis partitione, à quo his etiam nomen Horis inditum, ut quadrimestris esset unusquisque eorum annus, de quo diffusius alibi. Quin Persæ atq; Assyrii, quos nos Annales, Horas vocitarunt, & Græci Horographos eorum scriptores. Apud Lucianum enim legimus, *ὁ μὲν κτλ παλαιὸς τῶν περὶ τὴν βασιλίδος, ὡς δηλοῖσι οἱ περὶ τὴν καὶ ἀστυρίαν ὕψι*. Cum vero Horus ab Ægyptiis Apollo esse prædicetur, nostri una cum Græcis nomen idem ad quatuor & viginti horas transfudere, quas Solis esse filias Homerus dicit, de quibus, ut hoc κτλ πάλαιον ponam, veterem habemus fabulam: Horomazen, cum in mundi fabrica reliqua digessisset, quatuor & viginti deos in ovum inclusisse. Id cum Arimani gnatulo perforassent, bona malis immixta prodidisse: atq; ita quantacumq; fruamur jucunditate, quocumq; simus gaudio exhilarati, ferus quid vesper vehat, nos nescire. Hic cum finem facere visus esset Leoniceus, ad inclinatum jam Solem aspectans Ranerius: At nos, inquit, quid ferus vesper advexerit probe scimus, qui bonam hujus diei partem tam jucundis sermonibus exegerimus. Utinam vero sæpe daretur occasio istiusmodi conventus celebrandi; & cum dicto, salute dicta surrexit, quod & alii fecere, die prius constituto, quo interum essent conventuri: illi domum, ego in navim abii, mox Florentiam, quo fueram, ut scis, per Julii Cardin. domini mei literas accersitus, atq; ibi primo quoq; tempore, tam ea, quæ ex te audieram, quam quæ viri illi eruditissimi disseruissent, quæque convenire mihi visa sunt, in commentaria mea Ægyptiaca transtuli, vestra ope fretus, & latius & plenius explicandi multa quæ curta & angusta nimium compereram apud authores posita: neque vero sinit me temporis brevitatis, quæ quisque disputasse ad amissum dirigere, & ipsa quæ audissem verba repræsentare, quod nonnulli ex amicis à me postulabant: id enim negotium multum mihi temporis abstulisset, nec meæ me occupationes id facere permisissent. Satis igitur à me factum puto, si res ipsa breviter, quantum memoria complecti potui, recitata sint. Verum age, benignissime Patruæ, Aristarchum indue, atq; hunc castigandi laborem minime gravem ducat, quæque me recte meminisse compereris, asterisco insignias, quæ segniter & oscitanter excepta, obelo defodices: ut ego hæc aliis communicaturus, iudicio adjutus tuo, audentius id facere confidam. Vale.

